ſed nonnunquam nebulis circumſeptus eſt, omnia ſi circum-
ſpiciamus, aſpera nobis offerunt, quæ cùm recenſemus quid
futurum putatis Auditores? annon cernitis veſtram
in his ſalutem et utilitatem maximam conſiſtere?
audete modò tollere ſpinas ſi roſas habere non vultis,
demite arbori amaram radicem ſi dulces illius fruges
deguſtare renuitis, pellite de cœlo nubes ſi ſterili
terræ irriguum fructiferumque imbrem invidetis, pro-
hibete ſuas Soli nebulas ſi ſerenum diem non optatis,
non poteſtis non diligere amara ſi dulcia expectatis.
Quid iucundius poteſt homini contingere quàm bona ſama
et titulis florere? certè habe divitias omnes cum Crœſo,
numera candidos cum felici Polycrate dies, fiat roſa
quicquid calcaveris cum Perſeo, fiat aurum quicquid
tetigeris cum Mida, pretioſior gloria eſt, deinde
nihil eſt quod tempus non aliquando conſumat aut è
veſtigio diſcedat, florent flores ut rurſum deſloreāt,
creſcit Luna ut rurſum deficiat, annus annum devorat,
ſed ſolius famæ immortalis memoria eſt, veruntamen
quis neſcit quòd, quò quid pretioſius eſt, carius emendu-
ſit! utinam ab Inferis exiſterent Antiqui Heroes